



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 83. Imperator Venetiis Florentias, Pisas, &c. profectus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. rator ubique honorificentissime juxta ac  
 A.C. 1452. lautissime exciperetur. Recenseamus

Dubrav. l. 28

memorable factum, quod ei, cum Venetiis moraretur, accidisse refert Dubravius, *Veneti*, inquit ille, *inde discessuro Imperatori Abacum ex vitro elegantissimo concinnatum, exornatumque donaturi erant, illumque inter alias ex auro, gemmisque divitias seposuerant: annuit Fridericus morioni suo, ut mensam reponendis vitris appositam commoveret, qua commota provolvuntur vitra, & confringuntur, arridente ad id Cæsare, atque dicente: nunquam aurea vel argentea vasa ad tam levem casum ita fuissent comminuta. Quo dicto Venetis significare voluit, sibi fragile adeo donum minime probari, sed dignioribus muneribus Cæsaream Majestatem honorandam.*

§. LXXXIII.

*Imperator Venetiis Florentias, Pisas &c. profectus.*

Cæsar Venetiis Ferrariam petiit, inde Bononiam, ubi a Bessarione Cardinale summo honore exceptus, atque a Nicolao Perroto eleganti oratione in ejus laudem dicta salutatus est, quem Cæsar idcirco lauro coronavit. Ceterum Legatis Francisci Sfortiæ, utpote cui jam a longo tempore infensus erat, dissimilem se exhibuit. His enim rogantibus, ut

Medio-

Nauclet. ge-  
ner. 49. p. 474

Mediolanum ad ferream coronam de more suscipiendam peteret, repulsam dedit, prætexens, nolle se pestis ibidem grassantis periculum subire.

Secul. XV.  
A.C. 1452.

§. LXXXIV.

*Imperator Romam ingressus.*

Florentia postmodum Senas profectus sponsam suam Eleonoram e Lusitania deductam excepit, quacum Romam pergens, duobus stipatus Cardinalibus, quos Florentiæ nomine summi Pontificis obvios habuit, die nona Martii juxta Platinam, juxta alios vero decima quarta aut decima septima ejusdem Mensis Urbem ingressus est, tredecim Cardinalibus, toto Clero, ac urbis Magistratibus obviam euntibus. Tandem vero ab illis sub umbraculo splendide ornato ad gradus Basilicæ S. Petri deductus est, ubi eum Pontifex in cathedra eburnea confidens, & Pontificalibus indutus præstolabatur. Marescallo nudum ensen præferente, Cæsar summi Pontificis pedes osculatus, auri massam de more eidem obtulit, atque Æneas Sylvius, qui Cæsarem comitabatur, ejus nomine sermonem ad Pontificem habuit, quem inscutus Ladislaus puer osculo item Papæ pedibus infixio Orationem latinam, a suo tamen Moderatore compositam recitavit de laudibus

Addit.  
Ciaccon. in  
Nicol. V.